

Inuentio didascalica est qua inueniuntur argumenta docentia; siue ea sint explicantia, siue probantia siue amplificantia.

Inuentio ethica est, qua inueniuntur argumenta delectantia, quae etiam dicuntur conciliantia & morata.

Inuentio pathetica est, qua suppeditat ecclesiastae argumenta moventia.

R E G V L A E.

Artificium explicandi.

I. Artificium explicandi, seu modus inueniendi argumenta explicantia, sic habet.

Ecclesiastes explicaturus thema simplex, omnium *primo* percurrat loca inuentionis Logicae. v.g. si velit explicare locum communem de Scriptura sacra, ostiatim pulset locum causae, effecti, subjecti, adjuncti, & similia notionum Logicorum. *Deinde* terminos transcendentales ex metaphysica assumat, quales sunt essentia, vnitas, veritas, bonitas, perfectio, & similes. e.g. si de Deo dicere instituat, potest considerare essentiam Dei, ipsius vnitatem, veritatem, bonitatem, &c. *Tertio* ad locos siue topica inuentionis propriae seu specialis descendat: qua de re vide *cap. seq.*

Artificium probandi.

II. Artificium probandi, seu modus inueniendi argumenta probantia sic habet.

Ecclesiastes probaturus thema compositum, *primo*, percurrat loca inuentionis Logicae, ita vt quaestionem probandam resoluat in duo extrema, subjectum videlicet & praedicatum (seu in partem antecedentem & consequentem) & seorsum deducit vtrumque per ista loca. v.g. sit quaestio, *An peccatum originis sit substantia?* Hic pars antecedens, *peccatum*, consideretur vt thema simplex, & deducatur per loca inuentionis: similiter pars consequens, *substantia*. Negatiua sententia concludetur ex loco causae, effecti, subjecti &c. *Deinde* termini transcendentales, applicati vtrique termino quaestionis compositae, aequè suppeditant argumenta probantia, atque loca inuentionis. *Tertio* argumenta probantia petuntur è locis inuentionis specialis, de qua dicitur *cap. seq.*

Artificium amplificandis.

III. Artificium amplificandi, seu modus inueniendi argumenta amplificantia, est triplex.

Primo ex iisdem locis argumenta amplificantia sumi possunt, ex quibus sumuntur argumenta explicantia & probantia. Nam omnia & singula loca inuentionis faciunt ad declarandum seu amplificandum, probandum seu demonstrandum, & amplificandum. Similiter termini transcendentales faciunt ad amplificationis *diuisionem*. Sic v.g. adjuncta utilitas iustitiae amplificatur à causis, oppositis & similibus. *Deinde* quinque sunt loca in-

ca in-